



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

11. Herculis apotheosis seu translatia in cœlum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

conatus esset, ictus clavâ fidem pastorum nequidquam invocans, morte occubuit.

Ubi nota 1. Cacus fuisse latronem, crudelitatis suæ monumenta in terrorem & ostentationem ad fores spelunçæ affixisse:

----- Foribusque affixa superbis

Ora virum tristi pendebant pallida tabo.

Deinde augebat ejus terrorem, quia

Huic monstro Vulcanus erat pater, illius atros

Ore vomens ignes, magna se mole ferebat.

Scilicet Vulcani incendia in pectus filii migraverant: exhibant de ejus faucibus fumus & flammæ. Quis sustineret cum hoc portento congregari, nisi Hercules, hoc est, vir fortis, periculis, tanquam fatuis & ab opinione vulgi haustis ignibus non absterrendus? Patris ignes vomit filius, ut agnoscas parentum vitia in liberos transfundi. 3. Cacus aversis trahendo vestigiis boves, crimen occultare non potuit. Nil fraus, nil dolus juvit; bos clausa prodidit factum & furtum: adeo nec ipsa spelunçæ tenebræ crimen tegere potuerunt. Quid, quod disjecto per Herculem teterrimo antro, mille aliæ rapinæ & impietates patuere,

Panditur extemplo foribus Domus atra revulsis,

Abstractæque boves; abjuratæque rapinæ

Cælo ostenduntur.

Lento in vindictam gradu fertur Deus, sed certo; ea quoque scrutatur, quæ inaccessa putabantur, uti spelunca Caci

----- vasto submota recessu.

Boves in specu mugientes mihi revocant in memoriam bovem S. Medardo Episcopo Noviomeni à fure subductum, cujus animalis collo appendulam nolam identidem sonantem neque gramine neque stramine obstruere, neque in intima cistarum abditam ulla ratione mutam efficere potuit abactor. De quo plura Surius 8. Junii. Vehementer in verme conscientia lib. 1. c. 1. §. 1. En Symbolum reæ Conscientia.

XI. (p) Herculis apotheosin pulchrè describit Ovidius:

Interea quodcunque fuit populabile flammæ

Mulciber abstulerat: nec cognoscenda remansit

Herculis effigies; nec quidquam ab imagine ductum

Matris habet: tantumque Jovis vestigia servat.

Usque novus serpens, posita cum pelle senecta

Luxuriare solet; squamæque nitere recenti;

O o 3

Sic

(p) *Herculis apotheosis.*

Sic ubi mortales Tirynthius exiit artus,
 Parte sui meliore viget, majorque videri
 Capit, & augusta fieri gravitate verendus.
 Quem pater omnipotens, inter cava nubila raptum
 Quadrijugo eurru radiantibus intulit astris.

Ad propositum Horatius lib. 3. Od. 3.

Justum & tenacem propositi virum
 Non civium ardor prava jubentium,
 Non vultus instantis Tyranni.
 Mente quatit solidâ
 Hac arte Pollux, & vagus Hercules
 Innixus, aves attigit igneas:
 Quos inter Augustus recumbens
 Purpureo bibit ore nectar.

His artibus, id est virtutibus, justitia scilicet & propositi constan-
 tia, Heroës veteres Deorum mensis accubuerunt. Tyrannus ferox erat
 Eurystheus, qui virtutem Herculis exercuit, & ad ingentia præmia pro-
 vexit. *Vagus* hîc dicitur, ob multa maria, & longinquas terras pera-
 gratas. Laudat hæc Seneca in Herc. Oetæo.

Nunquam stygias fertur ad umbras
 Inclita virtus. Vivite fortes!
 Nec Lethæos sæva per amnes
 Vos fata trahent: sed cum summas
 Exiget horas consumpta dies,
 Iter ad superos gloria pandet.

X I I. (q) Juvat hîc apponere elegantem comparationem inter
 Herculem & Samsonem, ut magis atque magis appareat, quod non se-
 mel ostendimus, Poëtarum commenta non esse tam casta & inania, ut
 tanquam ex paleis nihil melioris doctrinæ excuti vel extrudi possit. Nam
 altior sæpe veritas, & quidem sacra, sub his umbris latet. Audiamus
 virum excellentis doctrinæ de utroque heroum istorum differentem.
 Hercules fertur, inquit P. Georgius Stengelius tomo 2. de Judiciis div.
 c. 50. n. 12. in prima jam ætate ad eum fuisse robustus, ut vel in cunis
 duos angues, arctato gutture eliserit. De Samfone scribitur: *Crevis*
puer, & benedixit ei Dominus, cepitque Spiritus Domini esse cum eo. Ju-
 dic. 13. Quia scilicet heroica animi & corporis fortitudine eum do-
 navit. 2. Hercules fingitur adamantinas inferorum portas effregisse, ut
 inde

(q) Comparatio Samsonis & Herculis.